

84. Ductus hic est illius Theologi, qui epitomen Theologiae ita ante id digeserat, ut praemisso principio cognoscendi, doctrina videlicet de S. Scriptura, in parte communi ageret primo de hominis fine, seu de supernaturali animae & corporis beatitudine; deinde de subiecto seu de homine ad vitam aeternam perducendo; tertio de medijs & principijs, unde beatitudo illa hominis dependet; in parte propria autem doctrinam proponeret de Ecclesia seu coetu hominum, per certa media sub uno capite Christo congregando & conservando.

85. Nec est, ut quis causetur, hac methodo analytica abuti haereticos, qui vitae aeternae praemia docent homini ex conditione naturae immortalis deberi, si studijs sanctitatis incumbat. Fateor, metum hunc non esse nullum, si vel theologia, vel fides asseratur talis esse habitus practicus, qualem Aristoteles definivit prudentiam cum recta ratione activam. Sequeretur enim, sicuti Ethica prudentia per virtutes morales ducit ad summum bonum, ita religiosam vel theologiam prudentiam bonis operibus vitam aeternam consequi. Sed jam metus inanis est, si media aeternae beatitudinis consequendae unice dicuntur a gratia divina & merito Christi quaerenda esse. Et qui ita ipsam beatitudinem, tanquam finem hominis, ad leges ordinis analytici priori loco explicat, & deinde ipsius hominis beandi, tanquam subiecti creationem & a DEO dependentiam, ejusdemque lapsum & miseriam explicat, & tandem principia addit, a quibus dependet salus aeterna, mediaque addit, quibus ad eam non nostris meritis, sed fide in Christum perveniatur, is tantum abest, ut pro haereticis illis velitetur, qui nimium dant suis viribus, ut potius graviter eos confundat & confutet.

86. Etsi enim theologia cognitioni Dei aliquid adjicit, quod in actione positum est; ut tamen ipsa est scientia & sapientia non in apodeixi & demonstratione humana posita, sed ex principio, divinitus revelato, hausta, ita actiones etiam, quas docet, non vendicat viribus humanis, sed gratiae divinae.

Sed haec haecenus.

SOLI DEO GLORIA.